

cœlo pugnare posse. Cur ergo vulgus trepidat? vulgus inquam: Immō & nonnulli docti viri pauent, & pauorē porrò suum animis imperitorum incutiunt: Qui sermones diuulgantur non ignoras mi Patrone. quid scriptorum editum sit videmus & legimus. Sed videant hi scriptores, quam solido nitantur fundamento, cum omnes Ptolemæi iudicio & grauitate confidant. Hic enim scriptor non modo absurdè, sed impie quoque scripsit. Exora-  
*Ptolemæi pietas* tum à nobis iri Deū, ne à Cometa lædamur, si luna cū lo-  
ue cōiuncta, preces illi fundamus. Quāta sit in hoc sermo-  
ne pietas, veritas, oēs intelligunt. Sed reliqua videamus.

Vna eademque schola est, quę Cometā infaustū dicit,  
*Cap. IIII.* & singulos dies adeò singulas diei horas ita notat, & per  
varios cœli ac stellarum situs digerit, vt iubeat quando  
in balneum descendendum, quando catapotia, sirupus,  
vel bolus assumendus recte sit. Idem Astrologi Hippo-  
crati & Galeno præscribunt, quando vena secanda, & ex  
venis quæ, num axillaris uel humeraria. Necque uerentur  
de cucurbitulis edere decreta, scarificata vel integra cuti,  
prout stellarum senatus ipsis unis pronunciarit. Atque hi  
demum sunt Cometarij uates, qui capillorum tonsuras,  
& vnguium resectiones, prout stellæ iusserint, obseruari  
uolunt. Et quantum illud est, cum dicunt certis terris &  
populis à cometis damna imminere, quia variarum stel-  
*Ridiculi larum uis, diuersas terræ partes & iuuet & lædat: Dicere*  
*Astrologi* ausim hanc tantam uarietatem esse omnibus hominibus  
incompertam. ipsi etiam Astrologi de hac re pugnan-  
tia decreuerunt. Et si quis illorum scripta legat, uidebit  
inter se cōtendētes Persas, Aegyptios, Hisparchum, Pto-  
lemæū, ueteres & recentiores magistros. Quo in genere  
unum afferam, unde scholæ huius infirmitas manifesta  
sit. Dicunt, signa Cācri & Virginis insulis oceani cunctis  
præesse. Pudet me (ita me Deus amet) de istis agere. Sci-  
licet Oceanus piscina quædam est, aut angusta aliqua  
Maris pars, ut cum tanta aquarum immensitate, tantisque  
locorum spacijs, & copia insularum innumerabili, dua-  
bus